



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cavssa Helvetica Orthodoxae Fidei**

**Murner, Thomas**

**Lucernae, 1528**

**VD16 M 7034**

Praedicans Bernen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29525**

## CONCLUSIO SECUNDA.

consecrationem uult intellectam haberi, aut certe ubi consecrationis mandatum sit datum. Rationem inquam reddere cuilibet petenti Petrus nobis mandat.

### PRÆDICANS BERNEN.

Quod ad priuata negotia attinet personæ meæ causa, nihil ad doctorem Eckium, sicut nec ad me pertinent sua negotia. Quod aut uerbum Christi concernit, Hoc facite &c. Hodie ostendi ex Paulo claris suis uerbis, quæ adhuc manent immota. Quum aut hoc disputationis naturæ doctor Eckius tribuit ad scrutandum, in quibus uerbis consecratio fundata est, quæ præcipue suum primum articulum tangit, nihil illa me grauabo iuxta tenorem, dictum & responsionem communium confœderatorum mihi datam. Quod aut Christus in sacramento altaris offeratur, adhuc ex claris scripturis non intellexi, maneo apud prius datam responsionem.

### D. ECKIUS.

In Paulo prædicans non reperiet suam nouam glossam, hæc scilicet uerba, Hoc facite &c. ad summptionem solū indicare, illud uerbulū solū non ibi stat. Ideoque non recte loquitur quod nudus sit Pauli textus, in quo casu me subijcio uobis gratiosis dominis meis nuntijs consulū xij. cantonū, & quatuor præsidentibus. Et quæ ad intelligendum præbet, quasi sciscitatio mea non esset secundum naturam disputationis, quare ergo fratres sui in Christo doctor Oecolampadius & Imeli ea lege & conditione contra me sunt usi, & ego illis respondi. Questio mea non est contra mandatū dominorum meorum nuntiorum consulū, neque primum articulum præ manibus habeo. Sed quia ipse uerba Christi, Hoc facite, declinare uoluit & uiolētare, quod ad missam non indicent, ex eo nunc scire uellem, si ad consecrationem indicarent. Neque credo dominos meos Bernenses, qui per dei gratiam in unionem uere & recte fidei peruenerunt, sibi hoc in mandatis dedisse contra diuini Petri mandatū. Quare domine prædicans rationem uestre spei & fidei reddite, is enim optet debile